EUGENIUS IV. PAPA. PS. BONAVENTURA

Entstehungsort unbestimmt, 2. Hälfte 15. Jh. (um 1470/1475 nach Wasserzeichenbefund) Seite 56v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31258
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

teneatur homo confessionem iterare

Dubitatur vtrum propter peccati obliti recordacionem teneatur homo confessionem iterare Respondetur quod esset valde bonum sed non oportet de necessitate / sed sufficit quod tantum ea quorum oblitus fuit / et que nunc memorie occurrunt confiteatur in particulari et dicat proxime quando confitebar fui oblitus etc / et sic confiteatur de negligencia / nec sic confessio fuit diuisio quia prima fuit integra quantum ad eorum omnium quorum memor fuit Et sicut superius dictum est de contricione habenda in generali super peccatis oblitis / ita est intelligere de confessione fienda in generali super peccatis mortalibus oblitis Dicendo in generali Domine est michi visibile quod commiserim plura peccata / quorum propter negligencia et inaduertencia sum oblitus nec potui memorare etc Et sufficit huiusmodi generalis confessio · quamdiu manet de eisdem obliuio

De recidiuante

De recidiuante dicit Scotus / quod non oportet eum propterea totam iterare confessionem Et sufficit dicere de magnis et multis alias penitui et spero quod misericors deus ea michi dimisit / sed ingratus de isto beneficio recidiuaui in illud et illa peccata · que nunc de nouo commisit

Nota vtilia ad confessionem

Ex predictis colliguntur plura que concurrere debent in confessione Primum ut homo dispositus accedat ad sacramentum penitencie ita quod non ponat obicem gratie et confiteatur cum aliquali attricione confessionem precedentem uel comitantem / alias a nullo absoluitur nec ipsa absoluet Secundo ut confitens non sit in excommunicacione maiori Tercio ut confitens diligenter discuciat consciam suam Quarto ut premissa diligenti discussione quotquot recepit peccata confiteatur omnia · siue interiora siue exteriora / occulta siue publica / et confessori manifesta Quinto ut omnia huiusmodi mortalia que recepit confiteatur vni sacerdoti omnia absoluere potenti Sexto quod et confiteatur circumstancias et maxime trahentes in aliud genus peccati ·